



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam  
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum  
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Pro perfecta sui abnegatione, rerum & spiritus paupertate,  
Christiformiumq[ue] virtutum imitatione, Precatio VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

fatigatione, etiam præ nimia præssura defecisti. Sequebantur quoque te bone Iesu. Luc. 26.  
 pię quædam mulier es flentes & lamentantes, alijq; amici, vestigia tua cruenta se-  
 stantes, quos retrospectans tu consolabaris: filijs interim Belial gaudentibus, can-  
 tantibus, & super damnatione tua tibi insultantibus: quos humiliter, & velut om-  
 nium malorum reus, tolerabas. Benignissime Iesu, interea trahebaris, impelleba-  
 ris, prosternebaris, conculcabaris, omnibus subsannandus ac illudendus offereba-  
 ris, donec viribus tandem omnibus destitutus, sub trabe crucis sæpius miserabili-  
 ter deficiens, in saxa terranq; durissimè corrueres, ac Simone tandem angariato,  
 qui post te crucem ferret, ad Caluarię montem multo cum labore & dolore per-  
 tingeres: vbi verecundus coram hostibus, & omni plebe nudabaris, atque ad eò re-  
 nouatis doloribus & reapertis vulneribus tuis singulis, per lanę vestis (quæ pla-  
 gis tuis congelata fuerat) violentam abstractionem, denuò fauciabaris. Matt. 27.

*Pro perfecta sui abnegatione, rerum & spiritus paupertate, Christi formiumq; virtu-  
 tum imitatione, Precatio VIII.*

**P**RO his singulis & vniuersis pro me perpensis, adoro, laudo, & benedico te pie  
 Iesu, gratiasq; ago tibi, obsecrans te per infinitum illum tuum erga nos amo-  
 rem & misericordiam, da mihi gratiã perfectissimè funditusq; abnegandi  
 meipsum, iuxta omne tuum beneplacitum & crucè pœnitentię, acquirendarumq;  
 virtutũ, ad quam me singulariter misericordissime vocasti, strenuè tota vita (per  
 charitatem in me semper excrecentem) perseuerando portare, donec crucis tuę  
 fructum & meritum (purgato prius bene animę palato) percipiam hic in gratia,  
 & post in gloria. Da igitur mihi dulcis Iesu, benedictam passionem tuam iugiter  
 deslere cum intima compassione, eamq; nunquam à corde meo excidere, delerue;  
 sed cor meum continuè ea vulneratum permanere. Per item altissimam & admi-  
 randam tuam paupertatem, qua tu potentissimè Fili Dei viui, vniuersorumq; au-  
 thor de totius mundi, diuitiarumq; tuarum magnificentia, non solum nihil habe-  
 bas proprium, sed nec necessariorum corpori vestimentorum retinere permitte-  
 baris vsum: obsecro te vt digneris me à cunctis in spiritu & natura nudare, quæ  
 voluntati tuę quoquomodo contraria sunt, tuiq; dilectionem in me in frigidare  
 possent. Fac me ergo feruentissimum extremę paupertatis amatorem, atque om-  
 nis indigentię, etiam rerum quasi necessariarum (qui enim non sequitur te, non est  
 te dignus) vt omninò tui amore contemnam quicquid mundus habet; ita vt ad tui  
 solius gloriam ex creaturis, duntaxat necessitatis vsum capiam, citra omnem in-  
 ordinatum & vitiosum affectum & concupiscentiam. Matt. 10.

Trahe me igitur pijsime Iesu post te, vt ardentissimo desiderio imitandi ve-  
 stigia vitę ac passionis tuę, sequar te quocunq; ieris, & quocunq; me sequi vo-  
 lueris.

Seruam tibi perpetuo fideliter, sicut tibi placuerit. Sustineam æquanimiter,  
 quicquid tu pati me volueris. Intelligam & indubitanter credam in omnibus pa-  
 ternam tuam prouidentiam: de manu tua cuncta cum laude & gratiarum actione  
 suscipiam, in seruitio tuo neque tepescam, neque deficiam vnquam, sed semper  
 proficiam, & omnes vires animę & corporis, adeoq; omne tempus vitę meę in  
 beneplacitum tuum, in laudem & amorem tui perpetuo expendam, Amen.